



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

Pars 3. de exercitiis sub Missa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

tas divagandi. Tres Magos æmulare, qui, cùm gratiâ videndi Jesum beati essent, *procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Math. 2: 11. Aperi & tu thesauros cordis tui, offer ei aurum dilectionis, id est, actus aliquos virtutum quos in amorem ejus hodie exerces, thus fervidæ orationis, ac myrrham mortificationis, quam etiam hoc die operi mancipabis. Ut namque ille non venit ad te manibus vacuis, ita neque tu sine munusculis ad eum venire debes: *Filia Babylonis misera, sed Filia Tyri in muneribus:* Psf. 136: 8 iterato hoc præscriptum in veteri lege: *Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* Psf. 44: 13. Deut. 16: 16. & 17. Hic Martham noli æmulari, sed imitare Mariam sedens secus pedes ejus, præscribitur id dum Sacerdos sub Præfatione dicit: *Sursum corda.* Et Minister nomine omnium respondet: *Habemus ad Dominum:* ut admonitio sit, juxta de Orat. Dominica. *proprianum, Nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere.* Vide itaque quomodo te habeas: Cant. 2: 9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

P A R S. I I I.

*De Exercitiis sub Missa.*

**T**Ria, quæ in Sacerdotio non tam legali quàm Evangelico spectari possunt, brevi hac sententiâ complectitur Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona* Heb. 5: 1.

& sacrificia pro peccatis. Et quidem primò ejus Excellentiam explanat, quòd scilicet Sacerdotem in medio quodam statu Deum inter & homines constituens quasi *Semideum* quendam efficiat: *assumptus ex hominibus*, ac si non jam ampliùs eorum numero accensendus: quod & Christus insinuat, cùm expressionem fidei suæ Incarnationis ab Apostolis eliciturus, primò quid homines, postea quid ipsi de eo

*Matt. 16:* 13-15. crederent, interrogavit. *Secundò Qualitates*, quas illud ab eo exigit, quarum Una Vocatio divina: *Assumptus*, non contra divini consilii dispositionem in Sanctuarium Domini ultro intrusus: etenim Ecclesiæ ministerium nec *elatione avidâ* suscipiendum, nec *blandiente desidiâ* respuendum docet Augustinus

*Epist. 81.* Altera est ut scientia præpolleat, quisquis erit spiritualis Tabernaculi *Beseleel*: non enim vult Dominus ut *sicut populus ita sit & Sacerdos*, sed repellit à

*Osee 4: 9.* Sacerdotio, à quo exulat scientia: *Assumptus* debet esse *ex hominibus*, iisque doctrinâ superior, quem hoc sacro ministerio honorat Dominus. Ultima est, ut qui dignitate eminent Vocationis reliquis præluceat exempto piæ conversationis: *Assumptus ex hominibus: monstruosa* siquidem *res gradus summus*, inquit D. Bernardus, & *animus infimus: sedes prima & vita ima*. Sponsi caput aurum optimum; quid autem Sponsi caput nisi Sacrorum Antistes, quorum auro puriorem & nitidiorem vitam esse oportet, quos aureis virtutibus decet fulgescere, ut sacram in populorum mentibus excitent avaritiam, faciantque Ecclesiam tantâ opulentiâ sanctè ambitiosam.

*Tertiò* denique ejusdem Officium, quod est Deum inter & homines sequestrum agere, & offerre dona

& Sa-

*L. 2. Confid. c. 7.*  
*Cant. 5:*  
 11.

& Sacrificia, non ampliùs vitulos, oves aut boves ut olim sub Fœdere antiquo, sed immaculatum Agnum Christum Jesum, qui & victima & principalis Sacerdos: „ Nam etsi nunc Christus non videtur offerre, *in Psal. 38*  
 „ (notat D. Ambrosius) tamen ipse offertur in terris,  
 „ quando Christi corpus offertur; imò ipse offerre  
 „ manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sa-  
 „ crificium quod offertur. O quàm puris & niveis  
 „ Sacerdotem oportet esse pectoribus, è cujus flatu &  
 „ verbo mirabili Christus quotidie nascitur, cujus ma-  
 „ nibus tam frequenter & assiduè tractatur, ac Patri cœ-  
 „ lesti immolatur & exhibetur, cujus adminiculo divina  
 „ hæc Victima transit in animos Fidelium! „ Væ igitur  
 „ Ministris infidelibus, (denuntiat Mellifluus Bur- *Serm: de*  
 „ gundio) qui necdum reconciliati reconciliationis *Convers.*  
 „ alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fece- *ad Clericos*  
 „ rint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros *c. 27.*  
 „ gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui Pacificorû sibi  
 „ usurpare gradus & nomina non verètur. Væ filiis iræ  
 „ qui fideles sese Mediatores pacis, ut peccata populi  
 „ comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne  
 „ Deo placere nō possunt, & placare velle præsumūt.

Sed quid ago? quò delabor? Sacerdotem instruo qui Virginem docere debeo: ut igitur in viam è diverticulo redeam, nolo è SS. Literis & PP. Apologiam exspectes contra Heterodoxorum calumnias, quibus Antichristi Præcursores *juge hoc Sacrificium Dan. 8.*  
 impugnant, & *Altare, de quo (ex Apostolo) edere 12. §*  
*non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt, de- alibi.*  
 moliri allaborant, Mensamque Christi evertere, *Hebr. 13:*  
 quam idem ille Ecclesiarum Magister Dæmoniorum *10.*  
 Aris opposuit & Idolothytis: utpote certus scire te *1 Cor. 10:*  
 erro- *20. § 21*



errorem contra veritatem non nisi calumniis aut mendaciis armatum. Neque est mihi animus, non enim Catechistam ago, apparatus explicare, & ritus quibus ex Spiritus Sancti magisterio divina hæc Hostia litatur, cum & obvii passim Libelli eorum ingerant notitiam, nec aliud sint quàm Dominicæ Passionis ac Vitæ commemorationes. Neque orationum formulas præscribo, cum & his precarii Codices redundant, & earum ego consuetudinem probem, quæ non in multiloquio oris, sed cum Dominicæ Passionis attentissima contemplatione Sacrificio interfunt, nutrientes ligno sanctæ Crucis ignem divini amoris, aut pretiosissimo sanguine Agni immolati abluentes animæ fordes, vel clavis piorum affectuum crucifigentes carnem cum vitiis & concupiscentiis.

*Malach.*  
1: 11.

Verùm cum non solus Sacerdos *oblationem* hanc *mundam* sacrificet & offerat, sed & omnes quotquot assistunt Sacrificanti, quorum is solummodo vices agit: Sibi namque est (juxta D. Augustinum) quòd quis sit Christianus, quòd autem Sacerdos, aliis est: *Ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in* *eis, quæ sunt ad Deum,* (inquit Apostolus) tanquam Commissarius seu Deputatus, cujus ore, Deum alloquuntur, cujus manibus eidem sua deferunt dona, quos proinde monet: *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem:* & pro iisdem orans post Memoriam sibi specialiter commissorum: „Memento etiam Domine, (inquit) omnium Circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium

*supra*

„ficium laudis pro se suisque omnibus, pro redemp-  
 „tione animarum suarum, pro spe salutis & incolu-  
 „mitatis suæ, tibi que reddunt vota sua æterno Deo  
 „vivo ac vero.

Quare quoties ades Sacro piam intentionem for-  
 mabis, quæ explicet quem in finem salutarem hanc  
 Hostiam ex parte tua offerri velis: dumque ea jam  
 offertur, Patrem cœlestem, ut votis tuis annuat, per  
 dilectissimum suum filium Victimam verè *Medulla-Psal. 65:*  
*tam* humiliter deprecaberis: licet hîc tibi petere quic-<sup>15.</sup>  
 quid desideras sive pro te, sive pro aliis, nec erit in  
 assensu difficilis, qui non contentus eum immolatum  
 semel in Ara Crucis, ideo iterum, at modo incruen-  
 to, quotidie in Sacrificio Missæ exhiberi voluit, quò  
 doni magnitudo finum divinæ liberalitatis ampliùs  
 dilataret. Subjaces aliquibus infirmitatibus, à quibus  
 desideras expediri? divinæ gratiæ suppetias impetret  
 tibi hoc Sacrificium, quò de Moabitide perfecta effi-  
 ciaris Israëlites. Affectas virtutem aliquam, cujus  
 penuriam pateris? suppleat inopiam tuam cœlestis  
 hæc Victima. Vacillas in proposito tuo? ad eum  
 confuge cum divinâ hac Hostiâ, qui est & esse debet  
*Dux Virginitatis tuæ: qui tibi demonstravit rectam Jerem. 3:*  
*viam, inquit D. Fulgentius, ipse tibi est deductor ad 4.*  
*patriam: nec te putes posse deficere, si te ille dignatus fue-*<sup>Epist. 2.</sup>  
*rit custodire. Pateris tentationes? iis objice tanquam ad Gal-*  
 clypeum divinam hanc Victimam, sit ea præcipuum *lam. c. 21*  
 tuum asylon, roga cum Psalmographo: *Emitte ma-*<sup>Pf. 143:</sup>  
*num tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis mul-*<sup>7.</sup>  
*tis, de manu filiorum alienorum. Expugna impugnan-*<sup>Pf. 34:</sup>  
*tes me: apprehende arma & scutum, & exurge in adjuto-*<sup>1-3.</sup>  
*rium mihi: dic animæ meæ, salus tua ego sum. Obtinu-*  
 isti

isti peculiarem aliquam gratiam, Eucharisticum hoc sacrificium offer, nostrâ enim gratitudine provocatur divina liberalitas: est unde tibi gratuleris, quòd

2 Reg. 1:  
21.

non sis de montibus *Gelboë*, super quos nec ros nec pluvia veniunt divinæ gratiæ & visitationis. Lapsus es in aliquod delictum? propitiatoriam hanc Victimam exhibe. Abripuit aliquem è tuis hora fatalis? ei requiem æternam obtineat hæc Hostia salutaris. Verbo, quicquid à divinâ Bonitate desideras impetrare, per hanc oblationem extorque: ideò namque ea quæ præcedunt & subsequuntur consecrationem (in qua propriè sita ratio hujus Sacrificii) à Sacerdote in silentio recitantur, quòd sine turbatione cor tuum effundas ante Dominum. Ecce quanta ad profectum tuum subsidia, quantæ illecebræ, quantæ devotionis fames & esca! desinunt esse panis & vinum, ac transeunt in corpus & sanguinem CHRISTI: ut quid cor tuum lapideum, & desidiæ duratum frigore in carneum, & amoris flammâ mollium non commutas? Mortis formam hîc illa induit, cur mundo, peccato ac demum tibi ipsi mori non condiscis? ut quid vitia adhuc vigeant in te, eorumque cupiditates flagrabunt? Cedit ille se tibi in Victimam, cur & tu te totam DEO non immolas? non est, quod contra excipias: & dum hæc fidei oculis quotidie conspicias; mirum revera quòd non tota in Deum abripiaris.

L. 4. de  
Imit. c. 8.

„Sicut ego meipsum, (inquit ille idcirco apud Kempæum,) expansis in cruce manibus, & nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri spontè obtuli, ita ut nihil in me remaneret, quin totum in Sacrificium divinæ placationis transfiret: ita debes & tu temetipsum mihi voluntariè in oblationem puram  
& fan-

„ & sanctam quotidie in Missa cum omnibus viribus  
 „ & affectibus tuis, quantò intimiùs vales, offerre.  
 „ Quid magis à te requiro, quàm ut te studeas mihi  
 „ ex integro resignare? Quidquid præter teipsum  
 „ das, nihil curo, quia non quæro datum tuum, sed  
 „ te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter  
 „ me: ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis,  
 „ te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro  
 „ Deo, & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum  
 „ obtuli Patri pro te, dedi etiam totum corpus me-  
 „ um, & sanguinem in cibum, ut totus tuus essem,  
 „ & tu meus permaneres: si autem in teipso steteris,  
 „ nec spontè te ad voluntatè meam obtuleris, non  
 „ est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio.

§. VII.

*De Virgine Maria Virginum Patrona.*

Cum jam eductus esset Israël è servitute Ægypti-  
 tiacâ, & in mari rubro cum suis submersus Phara-  
 o, *sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum* Exod. 15:  
*in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post* 20. & 21.  
*eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens:*  
*cantemus Domino, &c.* Hoc tympano D. Grego- De Virgi-  
 rius Nyssenus adumbratam intelligit Virginitatem: nit. c. 19.

„ Nam tympanum omni aquæ humore purgatum,  
 „ (inquit,) aridumque, magnum sonum emittit; ita  
 „ Virginitas, cùm nullum hujus vitæ humorem in  
 „ se colligat, clara & illustris existit: Si itaque mor-  
 „ tuum quidem corpus illud tympanum fuit, quod  
 „ manibus Maria tractabat, corporisque affectuum  
 inte-